

§ XX.

47. Vtitur autem Spiritus sanctus in efficiendis bonis operibus, voluntate hominis jam renata, non ut merè *παθητικῶ* subiecto: sed ut instrumento concurrente *ἐνεργητικῶς*, non quidem ex naturalibus suis viribus, sed ex gratia & auxilio Spiritus sancti agentis, & regentis illam ne quâ à recto tramite declinet.

48. Formalis verò bonorum operum causa fides statuitur: quæ est quasi anima & spiritus ille vitalis bonorum operum: quo absente; omnis etiam eorum laus, bonitas & dignitas expirat: Quicquid enim non est ex fide, peccatum est. Rom. 14, 24.

49. Constituuntur vulgò quidem haud perperam duo bonorum operum genera: Vnum internum nempe voluntas pia, cor renovatum, affectus novi & spirituales: Alterum externum: utpote actiones iustæ in oculos hominum incurrentes.

50. De operibus, quæ Heroica nominari consueverunt, sic statuimus: etsi ea expresso Dei mandato non erant præcepta, fuisse tamen illa opera verè bona, quippè ex fide nata, & peculiari Spiritus sancti impulsu edita.

51. Quæ tamen facta non temerè imitanda, nec in exemplum trahenda sunt: nisi quis singulari Dei instinctu ad id se impelli animadverterit: Vbi tamen non incertis coniecturis, non inordinatis

natis